

Exemplō rem declaratum imus. Si cui per gratiæ lumen extraordinarium revelatum sit, *Deum esse omniscium*; alteri verò idem lumine naturæ apodicticè demonstratum: Uterque clarè distincteque, ac certò & infallibiliter eandem, cùm eadem sit enunciatio, veritatem percipiet: hæc autem sibi ipsi nec contraria erit, nec in unō majorem, quām in aliō, pariet certitudinem, cùm uterque nullō modō possit dubitare. Videantur etiam de his quædam cap. 8.

C A P. VI.

Philosophiam esse infallibilem S. Scripturam interpretandi Normam ostenditur, 1. Argumentis, 2. Continuâ Theologorum Praxi, & 3. Exemplis.

1. **H**actenus Controversiæ explicuimus subjectum & Prædicatum, jecimusque fundamenta, quibus totam Demonstrationis nostræ molem impræsentiarum superstructum ibimus, & quidem facili negotiō; sponte enim suâ sese cuilibet, dicta animo recolenti, & accurate attendenti oggerit. Demonstravimus namque cap. 4. omnes locorum Scripturæ veritates, esse etiam veros sensus, ac omnes eorum expositiones, quæ veritati non congruunt, esse falsas: adeoque verum S. Literarum Interpretē esse, qui veritates orationum in iis contentarum potest eruere, ac se eruisse ostendere, nec non earundem ab aliis adornatas interpretationes vero non consonas esse detegere, ac demonstrare. Cùm igitur, ut præcedenti capite docuimus, Philosophia sit vera, certa, ac indubitata Rerum notitia, ex principiis naturæ lumine cognitis deducta, atque apodicticè demonstrata: Poterunt hâc & locorum Scripturæ veritates certò erui, erutasque esse demonstrari, & eorum ab aliis factæ explicationes, num vero convenient, an repugnant, explorari, ac hujus vel illius notæ esse, indubie ostendi. Unde evidentissimè consequitur, illam tam sacras Literas interpretandi, quam interpretationes explorandi certam esse atque infallibilem Normam; ac præterea illum, qui hâc est instructus, & cui hujus vera ac sincera affulsit lux omnès verbi divini Interpretis partes rectissimè dignissimèque sustinere posse. Quod sanè non ita intellectum volumus, ac si is, qui Philosophiam à limine solū salutavit, ac primoribus degustavit labris, adeoque liberalium artium atque disciplinarum cognitione pa- rum aut mediocriter tantum tactus est, omnia, quæ in sacris Scripturis occurrunt, etiam difficiliora atque abstrusiora penetrare, intelligere atque explicare posset: Sed tantummodo ea, quorum notitiam sibi jam philoso- phandō.